

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LV. De Ord. Ensiferorum

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

A. MC LXXXIII. ductu auspicioque Friderici Aenobarbi. V. MC XCV. ab Henrico VI. suscepta. VI. MCCIV. aëro Philippi Suevi. VII. A. MCC XVII. tempore Ottonis IV. IIX. A. MCCXXIIX. a Friderico II. peracta. IX. A. MCC XLV. a Ludovico IX. Galliae rege consecuta, quo tempore status Germaniae maxime turbidus erat. X. A. M CC LXIIX. qui annus Conradino Hobenstaufforum ultimo pariter, et bello sacro fatalis fuit. Vid. pluribus VVilb. Tyrius, cuius historia belli sacri XXIII. libris comprehensa est, Albertus Aquensis, cuius extat Chronicon Hierosolymitanum; Gvi- bertus Abbas: vastum atque insigne opus, Gesta Dei per Francos, inscriptum, Iacobus de Vitriaco: Chronicon. Hierosol. a Reinuccio editum; Conrad. Vrspergens. Matth. Paris, qui A. 1259. vivere desit, Paulus Aemilius, Marinus Sanutus, Petrus Bizarrus, et magno numero alii, passagiorum, (B) ut dicebantur, scriptores. Univerſa militia sacra Ducum et Principum Brabantiae, inter quos Godefridus Bullionius praecipue eluxit, edita est summatim a Iohanne Molano Antverpiae. Ut de caeteris lubens taceam.

(B) Appellatae etiam sunt expeditiones Crucis, sive cruciatae; hinc formula crucem praedicare, cruce signari. Sic et contra Tataros, qui ferreo et funesto Sec. XIII. eruperunt, crucis charactere se insigniverunt, Abb. Stad. ann. 1241. Conf. Petr. de Vincis lib. 1. ep. 29. p. 129. Thuanus bist. lib. 67.

## MONENDA.

Diplomata Misnensia in notis ad oram exaratis promissa, eaque titulum Palatini Saxoniae continentia separatim in descriptione Misniae edenda. De Sexagenis in diplomate Ascanio memoratis dicetur in auspiciis Electoratus Brandenburgici ad Zolleranos delati, ubi earum saepe fit mentio.

## LV. DE ORD. ENSIFERORVM.

**D**Iu Germani in Livonia magnis viribus militarunt, et rudes barbarosque populos semel iterumque armis oppugnarunt, et Ordinem cum insigni ensis professi, Livoniam finitimasque regiones subegerunt, ac religionis titulo id sibi licere rati, allatis et acceptis invicem cladibus, bellum sacrum gesserunt. Arnoldus Lubecensis Chron. Slavor. lib. VII. cap. 9.

§. II. Cum haec fierent, Philippus et OTTO IV. Caesares in Occidente, dissidebant; in augusta ad Bosphorum urbe Balduinus Flander summoto, Duca Alexio, regnabat, cuius epistola de obsessa et capta Cpli superest, quam ad Ottonem perscripsit, dignam lectu, et non dubiam conversi Graeco-Romanorum Imperii testem. Arnoldus lib. 6. cap. 19. 20. Godefridus Monachus in annal. A. MCXCVIII. et ann. MCCIII. Sub idem tempus Romanae sedi praefuit Inno-

Kkkkk 2

centius

centius III. rebus ex utilitate sua ordinandis maxime sedulus, et religionis ac potentiae incrementa pari ratione metiri solitus, temporumque apprime gnarus, qui per execrationum formulas quasi per fulmina Reges Principesque terrebat, vel si occasio posceret, vehementer ciebat, atque in aliam mentem impellebat. Cuius epistolas emisérunt *Franciscus Bosquetus, et Stephanus Baluzius*, quarum pleraeque ad Livoniam pertinent, et Innocentii industriam ostendunt, atque huic sane instituto lucem adferunt, quas tamen scriptores vernaculi et vulgares, qui de Ordine hoc commentati sunt, non lectitarunt.

§. III. His temporibus congruit Albertus, tertius in serie Antistitum Livonorum, qui Rigam, ad Dunam fl. situ ad aspectum pulchro structam, quanto potuit conatu munivit, ut sedes ibi esset et praesidium contra feroces et non Christianos populos, et belli robur foret seminariumque coloniarum. *Albertus Cranzius Vandaliae lib. VII. cap. 21.* Sed origo Rigae ab altiore initio repetenda, atque cum aetate Meinhardi, primi Rigenis Antistitis, coniungenda est, ita ut respondeat ann. MCXXXVI. si temporum rationes incantur. Quam sententiam Arnoldi testimonio firmamus, quippe qui ad eosdem calculos revocat, annumque sedis ibi constitutae definit, quem modo tradidi, et approbavi. *lib. VII. cap. 9.* Hinc locus ille cultus, religionisque causa frequentatus, et post decessum Meinhardi ac Bertholdi Antistitum, moenibus circumdatus communisque est, quod accidit, Alberto Antistite, qui effecit, ut formam dignitatemque urbis obtineret. Non explicite tradit Ioannes Magnus, quum per occasionem rerum Sveogothicarum transit in regiones finitimas, et Rigam metropolin A. M. CLXXXVI. coepisse affirmat, *hist. Goth. lib. XVIII. cap. ult.* Fallit, si metropolin pro urbe sumit, neque accurate loquitur, si ultimam sedis episcopi originem denotat, propterea quod metropolis usu iuris pontifici sumta serius coepit. Peritior harum rerum fuit David Chytraeus, et explicite scripsit, et in hoc argumento solertiam probavit. *Vandal. p. 17.* Cum quo iungatur Caesar Baronius in *annal. eccles. T. XII. ann. 1186.* Multae profecto sedes fundatae, multaque sacerdotia amplissima instituta sunt, priusquam ex occasione eorum urbes struebantur.

§. IV. Quo auctore equestris ille Ordo initium ceperit, mea refert, ut perquiram, etsi non convenit inter scriptores, qui omnem eo contulerunt operam, ut explicatam redderent huius sodalitatis originem, quam tamen multa et longa exercitatione consequi non potuerunt. Mihi in eam curam incumbenti quaerendus est conditor, quem argumenta rerum ostendunt, et a quo rationes temporum non abhorrent.

§. V. Illo, et adhuc lubrico, rei Christianae statu Albertus provinciam Episcopi Rigenis administrabat, et manu armisque utendum censebat, cum religio in discrimen veniret, et metuendus esset impetus non cultorum hostium, qui

qui durum servitutis iugum graviter ferebant, neque id aliter depelli posse, existimabant, quam si Riga potentiae sedes excinderetur. Igitur Albertus, futuri sollicitus, a Meinhardi, Livonorum *Apostoli* mansuetudine discessit, et belli disciplina, armorumque usu invafuros coercuit, et munita moenibus Riga, pariter sacra et fortunas omnes in tuto collocavit. Commodum tunc *Fratres* sacram militiam professi, ad tuendam religionis causam exciti, insignia duorum rubri coloris ensium, ab Innocentio III. susceperunt, et mutuo se cohortati, pro religione propaganda strenue certarunt, ut spatium terrarum, quas occupaturi essent, sub auspiciis Germanicis possiderent. *V. Caspar Schütz in Chron. rer. Pruss. pag. 16. Balthasar Russovius in Chr. Livonico, ex eoque Nicolaus Specht in oratione de Livonia, quae anno MDCXXX. divulgata est, Iohannes Isacius Pontanus in hist. rerum Danicarum lib. VI. p. 290. Cyriacus Spangenberg in eo corrigendus, quod Bertholdum priorem Alberto Antistitem appellavit Archiepiscopum, in speculo Nobilitatis lib. XI. cap. 10. Ioannes Caspar Venator de Mariano Teutonico equestri Ordine lib. I. cap. 2. Franciscus Modius in libro singulari de Ordinibus ecclesiasticorum origine fatetur, sibi non liquere, quo argumento aut autore fratres militiae sacrae insignia suaverant. Christophorus Hartknoch ex auctore Chronici Ordinis refert, hos Equites ab Alexandro III. Pont. Rom. institutos, et confirmatos, Albertoque Episcopo fuisse adductos, in animadversionibus ad Petri Dusburgii Chronicon Prussiae part. III. cap. 28.* Quod vero non est consentaneum, et profus atque omnino temporum argumentis repugnat. Nam diu ante factis concesserat Alexander III. quam sodalitas haec instituta, et assensu Pontificis confirmata est, quod fasti Pontificum, et annales illorum temporum ecclesiastici iuxta et profani evincunt. Anno MCXXCI. vivis exemptus est Alexander III. ut recte in annalibus Caesar Baronius supputavit. Anno autem MCCV. Ordo equestris firma societate coivit, et auctoritate Innocentii III. stabilitus est, ut in annalium ecclesiasticorum Baronii continuatione Henricus Spondanus commemorat ad h. an. Vbi idem nominat duas Innocentii III. epistolas, ab iis diversas, quibus causam Ecclesiae Livonicae fidelibus in Saxonia et finitimis tuendam commendavit; quippe ex quibus non eliciamus, confirmationem huius Ordinis ab Innocentio III. esse factam. Nihil de ea in his talibus epistolis reperimus, neque alteras epistolas, quae ad Ordinem spectant, reddidit Spondanus, contentus indicasse *Bosquetum*, apud quem extant: neque haec mens Spondani fuit, ut auctoritate harum, quas laudat, epistolarum, probare institueret confirmationem Ordinis, quae Innocentio III. accepta fertur. In tota enim hac causa nititur consensu scriptorum, qui de hoc Ordine prodiderunt. In quo probandi genere non satisfacit mihi Hartknochius, novitius et diligens rerum Prusicarum scriptor, in *Prussia veteri & nova part. III. cap. 2.* A consequenti tamen ratiocinari licet, non posse dubitari, quin praedictus Pontifex confirmavit hunc Ordinem, quem tuendum susceperit,

quemque patrocinio suo ornarit. *Vid. Innocentii III. epistolae 141. & 142. lib. XIII. collat. Ep. 191. lib. II. castigatioris et plenioris Stephani Baluzii editionis.* Idem Pontifex honorifice appellat, et litera maiuscula M. designat *bonae memoriae Meinhardum Episcopum Livoniensem*, et comparatione temporum instituta admonet, rem Christiani coetus in deterius lapsam, ope et auxilio defensorum instaurari oportere, *ep. 191. c. l.* Quamvis ibi haud nominarit fratres sacrae militiae, qui *Ensiferi* dicuntur, utpote qui post Meinhardi tempora, quae Pontifex respicit, societate coiverunt. Verba autem in extremo Innocentianae epistolae posita: *omnes, qui ad defendendam Livoniensem ecclesiam et Christianos in illis partibus constitutos divino Zelo succensi duxerint transeundum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et eis apostolici patrocinii beneficium impertimur;* maxime spectant ad sacri belli socios, Christianis laborantibus subsidio ituros, quos spe veniae delictorum, et fiducia patrocinii excitabat Innocentius III. quae occasio causaque fuit instituendi Ordinis fratrum militiae Christi. Quos expresse nominavit *in Ep. 141. & seq. l. c. & Ep. 119. 121. 123. 128. l. XVI.* Fuit tunc praesul Rigenis Albertus, quo ad clavum sacri muneris sedente, fratres militiae Christi in Ordinem coaluerunt. Igitur consentientibus rerum temporumque argumentis monstrari potest, *in epistola 141. quae AL. Rigensi Episcopo* inscripta est, non alium denotari, quem hunc, de quo saepius diximus, Albertum.

§. VII. Illud forte incertum obscurumque videri potest, et adhuc interpretatione indiget, utrum Alberto tertio Livonorum Episcopo annitente et invitante, an etiam adiuvante et auspicante, fundamentum huius Ordinis iactum fuerit, quod sine odio et invidia edisseram, nec laude sua fraudabo Albertum, neque tamen *Henrico Spontano* assentiar, qui ei titulum *Apostoli* addidit, quem potiori iure, et evidentiori ratione Meinhardo tribuendum duxi: quippe qui more *Apostolorum* non vi et armis, sed verbo et exemplis rudes incultosque populos ad doctrinam salutarem instituit: contra Albertus gladium distinxit, et bella gessit, ac signa intulit, et docendi partes cum militiae studiis vel coniunxit, vel commutavit. Nullae ceteroquin tabulae etiamnum extant, quibus coepti huius Ordinis gloria Alberto vindicatur: quinimo suppetunt argumenta, quae ostendunt, inter Episcopum et Ordinem multas et magnas fuisse lites atque aemulationes. Proinde Innocentius III. omni consilio et industria elaboravit, et componendi dissidii causa auctoritatem suam interposuit, ac Episcopo, nisi acquiesceret, sacram censuram denunciavit. Etenim praesul Rigenis in parte emolumentorum et *redituum* Ordini facebat negotium, iniuriamque inferebat: quam facere eum vetuit Pontifex, et iustitiae ac aequitati consuluit, et fidem patrocinii Magistro fratribusque militiae datam praestitit, nihilque praeter officium admisit, siquidem ad tuendam Ma-

gistri

gistrum fratrumque causam pertineret. *V. epistolae Innocentii paulo ante dictae.* Tum vero Arnoldus, gnauus, et aetate proximus probatissimusque scriptor, literis mandavit initia et originem Ordinis, sed de auctore eius Alberto Episcopo nihil consignavit, et paulo post simultatem altercationemque inter hunc, et fratres militiae exortam percensuit, ubi nihil annotavit *Bangertus*, etsi habere potuit, unde lucem adferret, nominatim ex Innocentii III. epistolis, quae hoc negotium maximopere illustrent, *Ep. 141. 142. lib. XIII.* Ita autem scriptum reliquit *Abbas Lubecensis Arnoldus lib. VII. cap. 9. Multi etiam continentias voventes, & soli Deo militare cupientes, forma quadam Templariorum omnibus renunciantes, Christi militiae se dederunt, & professionis suae signum in forma gladii, quo pro Deo certabant, in suis festibus praeferebant.* Nec ideo tamen Ordini Templariorum subiecti erant, atque ea de causa suo et peculiari signo ab illis discernebantur, ut anno tertio decimo Pontificatus Innocentius III. ad Albertum in Livoniam perscripsit. Post haec idem Arnoldus refert sequentia. *Orta tamen fuit inter Dominum Episcopum (Albertum) et fratres supra dictos, qui Dei milites dicuntur (quorum tunc Magister erat Volquinus) quaedam intestina similitas et mirabilis quaedam altercatio. Dicebant sane fratres, ipsorum iuris esse tertiam partem totius gentilitatis, quam Dominus Episcopus vel verbo praedicationis, vel violentia expeditionis obrinere potuisset. Quod cum Episcopus omnino eis negaret, facta est inter eos gravis discordia, ita ut multum contra ipsum in curia Romana laborarent, nec minus Dominus Episcopus suam sententiam confirmaret.* Quare Innocentius III. Christianae reipublicae utile futurum ratus, compositionem svasit, et capita conventionis auctoritate sua approbavit, ea lege, ut Ordo tertiam partem terrarum Lettiae et Livoniae concessu Rigenfis Episcopi teneret, et illarum ratione Magister Ordinis obedientiam sponderet, ne utique vero onus servitii praestandi imponeretur, nisi quatenus ad defensionem ecclesiae, et operam bello contra infideles navandam pertineret: reliquas terras, quas extra Lettiam et Livoniam ditionis suae facerent, Episcopi beneficio non agnoscerent, et suo iure (salvis Imperii auspiciis) possiderent, *Ep. 141. d. l.* Ex quibus licet perspicere, quae ex ratione et causa is ipse Ordo et summa dignitate actus, et in Principum Imperii Ecclesiasticorum numerum relatus fuerit: quod tamen serius, ac diu post tempora Volquini usu venit, quum Valterus Plettenbergius, XLIII. Magister Ordinis in Livonia in senatum Principum ritu solenni adscriptus est, non abnuente Alberto Marchione, Ordinis Teutonici Magistro ultimo, a quo in clientelam Polonicam se daturus, libertatem pactus, *Cruciferorum Imperio nuncium remisit.* Quam principalem dignitatem, et sessionis suffragiique ius etiam testatur *R. L. 1530. §. 145. Conf. Chytr. Saxon. l. I. qui Vandalia (rectius Vendia) inscribitur p. 21. Iob. Cass. Venator lib. I. cap. 2. qui Plettenbergium XLI. Ordinis Magistrum vocat, initio rationum sumpto ab Hermanno Salzio, quo gerente magistratum*  
*seclat.*

*Sodalitatis Prussicae, Ensiferi in Ordinem Teutonicorum militum, qui Cruciferi dicuntur, sunt asciti.*

§. VII. At enimvero istae lites, quae inter Rigae Antistitem, et sacrae militiae focios subinde excitatae sunt, nihil impediunt, quo minus Alberto totam hanc instituti per Livoniam Ordinis laudem relinqvamus. Nam etsi non inermis, neque inexercitatus miles erat Albertus, tamen suis viribus confidere non poterat, bellumque indies acrius futurum providebat, et subeuntibus animum curis, validas cohortes et matura auxilia quaerebat, prono in hanc sententiam Pontifice, et liberaliter pollicente Dei opem, et omnis admissi veniam, si ad arma irent, quibus pietas praetendebatur, revera autem augendi sacri Imperii cupiditas tegebatur. *Albertus Koialovvitz hist. Lith. lib. III. pag. 75.* Gratum hoc Antistiti Rigenium accidit, qui sciret alliciendi artes, et prospera rerum fama, magnisque praemiis milites invitaret. Horum flagrantibus animis opinio belli sacri, et gloriae studium, ditescendi spes, et aliena occupandi desiderium faces addiderunt. Nam provinciae infidelium quae erant extra Livoniam, in belli pretium cessurae offerebantur: intra Livoniam haec una muneris administrandi lex erat, ut, quoties flagitaret necessitas, copias suas in campum deducerent, et pro re Christiana propugnarent: de cetero ad praestanda Episcopo servitia non adstringerentur. *Id quod ex monumentis illius seculi; actis istorum temporum, et pactis utriusque conventis, et Innocentii III. epistolis colligi haud obscure potest.* Ad haec illa sacerdotum equestrium sodalitas, quae ab aris ad arma arcessita est, non audebat sibi sumere ius instituendi Ordinis in regione aliena, et Episcopo quaesita, nisi Episcopus annueret, penes quem concedendi auctoritas fuit. Hinc Albertus II. attritis Equitum rebus, enixe studuit, ut summa eius Ordinis transferretur ad Magistrum et fratres sodalitates Teutonicae, quorum auspicio et ope vires rescicerent, et stare contra hostes possent. Quod negotium etsi non statim confectum est, tamen huius Antistitis intercessio eo valuit, ut Ordinem ab Alberto I. conditum nollet opprimi, et aperte indicaret, eum sibi potissimum curae esse, quem et in vitae consuetudinem, et arctissimam foederis societatem recepisset. *V. Petrus Dusburgius Chron. Pruss. part. III. c. 28. Paulus Oderbornius de vita Basilidis libro II. C. Schuz. ann. 1238.*

§. VIII. Cum ex consensu et mutuo pacto Prussiae et Livoniae Equites sese obligarent, Hermannus a Salza, a gentili praedio cognomen hoc adeptus, cum dignitate Magistri generalis Ordinem Teutonicum in Prussia regebat, qui Ann. MCCXXXVIII. Fratres Livonicos, obsequium professos, suo et successorum nomine tuendos suscepit. Non habenti idoneos, sententiae auctores, qui post Hermannii obitum, *Ensiferos* sodalitati Teutonicae coniunctos putant, quos Prussici annales coarguunt, et tabulae confirmationis Ponti-

Pontificiae refellunt. Illud autem non ambiguis indiciis liquet, caeso a Lithuanis Volquino, Equites Livonicos coaluisse cum Prussicis, quod consilium pro rei necessitate susceptum atque confectum est: etsi Volquinus hanc gratiam ab Hermanno inire non potuit, magno quidem detrimento Ordinis, et funditus perituri, nisi propter rei Christianae utilitatem petitioni tam aequisimae locus tandem datus fuisset. Quae res labenti iam et fatiscenti Livonicorum militum Ordini opportuna accidit, et Gregorio IX. Pont. Rom. valde probata est, qui hoc ad dignitatem suam pertinere crederet, ut equites Livonici, hoc praesidio tuti essent, et in fide ac clientela Teutonicorum Prussiae permanerent. Quare eam coniunctionem auctoritate sua firmavit, quod haec corrigendae illorum fortunae ratio expeditissima videretur. Occurrebant animo superiores clades, et foedi eventus praeliorum cum barbaris commissorum, iamque infesta Valdemari Danorum Regis consilia in perniciem Livonicorum militum eruptura timebantur, quum stabili decreto opus erat, ut perpetua coniunctione adaugerentur vires utriusque Ordinis, quod causa belli communis, et labor periculumque par esset. Petrus Dusburgius memorat Dominum Papam, confecti negotii autorem, qui non fuit alius, quam Gregorius IX. eiusdem aetatis Pontifex, et in publicis tabulis, in quibus Ordinis privilegia fanciuntur, nominatus. *Conf. Venator lib. 1. cap. 2. p. 26. Io Is. Pontanus* cetera accuratus elegansque scriptor, nimis studet Valdemari II. partibus, quippe Vetsfeldimu nationis suae studiosissimum secutus, et Livonicos Equites non recte Templarios vocat, neque in designatione temporum congruit, *hist. lib. VI. ann. MCCXXXIV. C. Schuz in Chr. ad h. ann.* commode intelligendus est, quum hortatu Volquini coniunctionem factam scribit, quippe quae ab eo quidem vehementer expetita, sed non impetrata, et aliquanto post ipsius mortem ad exitum perducta est, prout Dusburgius confirmat. *Conf. Matthaeus Dresserus Isag. Hist. millen. VI. p. 293. Chronicon Ordinis Cruciferorum in Hermanno a Salza. Chytraeus in supputatione annorum discrepat, et annum MCCXXXIV. hac memorabili coniunctione insignitum cupit. Io. Baptista Ricciolius in hoc argumento sibi non constat, et res rationesque conturbat. Chronol. Ref. tom. III. p. 93.* Aliqui hic confundunt approbationem Ordinis in Livonia coepti, et confirmationem coniunctionis Equitum Livonicorum ac Teutonicorum: quarum altera ab Innocentio III. facta est, altera ad Gregorium IX. spectat. Implicatae hic quorundam rationes sunt, quas nihilo explicatiores reddidit *Christophorus Hartknochius in Chron. Pruss. part. III. cap. II. p. 279.* Vbi si pro Innocentio III. dixisset Honorium III. propius a vero dixisset. Anno MCCXVI. Innocentius III. vivere desiit, apud *Nauclerum vol. III. gen. XLI. b. ann.* Huic successit Honorius III. qui annum MCCXXVI. supremum habuit, surrogato in eius locum Gregorio IX. ut est apud eundem *b. ann.*

Qui omni studio operaque contendit, ut sacrae expeditiones suscipere, et Ordini Equitum enses ferentium, remedio necessitate expresso, consuleretur. Hinc sequentia monumentis commendavit Nauclerus Vol. III. gen. XLII. Erant per id tempus in Livonia fratres religiosi, vulgo dicti, de Gladio. Hi praeter crucem habebant in vestibus gladios affixos, militabantque pro fidei defensione contra paganos. Et quia videbant negotium Ordinis B. Mariae indies prosperari, habitis hinc inde tractatibus, per Rom. Pontificem voluntarie se passi sunt Teutonicorum religioni uniri. Hucusque Nauclerus, qui constituit signatque annum coniunctionis quo Pontificatum Gregorius IX. Imperium Occidentis Fridericus II. Orientis Balduinus II. tenebat.

§. IX. Eodem tempore honestis utrinque conditionibus approbatum est, ut Riga deinceps omnium Prussiae sacerdotiorum caput esset, et ab omnibus Prussiae Antistitibus summo honore et veneratione metropolis agnosceretur. Quod rebus utrinque sine odio et invidia constituendis perutile, atque ab aequitate haud alienum est visum, ut quemadmodum Livonici equites in fide et clientela Ordinis Mariani se futuros magistro fidem dedissent, sic Antistites Prusici deinde Archiepiscopo Rigensi obnoxii censerentur, aemulationumque occasiones inter utramque nationem apto salubris temperamenti instituto praeciderentur. Statim ut haec acta sunt, Gregorius IX. commodi et dignitatis suae causa, officio non defuit, et omnia, de quibus ultro citroque convenerat, rata habuit, atque adeo Albertum huius nominis II. in serie Rigensium Antistitum V. primum autem inter omnes Archiepiscopum ritu solenni inaugurandum curavit. Pontano igitur non fuit causa, cur dubitaret secundusne, an quintus appellari mereatur, in libro supra adducto ann. MCCXXXIX. Sed neque hoc melius affirmat, Episcopus Livoniae Revaliensem, Torpatensem seu Derpatensem, Oesiliensem, Curonicum, sive Curlandicum ad metropolin Archiepiscopi Lundensis in Scania fuisse relatos. Hi enim perinde ac Episcopi Prussiae Culmensis, Sambiensis, Pomesaniensis et Varmiensis, ex decreto Pontificis, ad metropolin Rigensem pertinebant: Varmiensis postea exemptus, neminem praeterquam Pontificem Rom. admisit, sed rebus in Livonia mutatis, non repugnante sede Romana, metropolin Gnesnensem agnovit. Frustra Zeillerus Habsaliae Episcopum annumerat, eumque ab Episcopo Oesiliensi distingvit, sui oblitus, cum ignorare non posset, Habsaliam Episcoporum Oesiliensium extitisse sedem, in Livoniae nova descriptione p. 229. collat. p. 266. Tum vero huius rei ratio habenda fuit Paulo Oderbornio, nimis audacter pronuncianti, Rigam semper fuisse metropolin. Riga, inquit, Archipraesulem semper habuit, in libro II. supra laudato. Nam quatuor certe praesules Riga ab initio originis suae habuit, Meinhardum, Bertholdum, Albertum et Nicolaum: Archipraesulum digni-

dignitatem ibi auspiciatus est Albertus II. In quo annales ecclesiastici illius gentis cum externis scriptoribus, Martino Cromero, Arnaldo Verfeldio, Davide Chytraeo, Io. II. Pontano, Caspate Bruschio, consentiunt, et summam, legi atque conferri possunt Balthasar Russovius, et Aubertus Miraeus, *ille in Chronico gentis suae Germanico, hic in notitia Episcopatum, et libr. de Orig. Ordin. equestr.* ubi tamen plerumque in nominum et rerum designatione haesitavit. Alioquin de Archiepiscopo Scaniae fatendum est, eius auctoritatem et iurisdictionem *ecclesiasticam* in Septentrione olim latissime patuisse, atque ex edito Hadriani IV. Pontif. *primatum* regni Sveogothici tenuisse, et huius auctoritate muneris ecclesias ibidem procurasse, et Esthoniae, regno Sveonum tunc coniunctae, Episcopos imposuisse, ut intelligitur ex *Petri Cellensis ep. XV. lib. VI.* Quare sic tandem Esthonia Polonis invasoribus erepta, et pace Olivenfi cessa, postliminio rediit ad Svedos, *quorsum spectat 55. IV. pacis Olivenfis.*

§. X. Postea Livonici Equites, redintegratis *coniunctione* viribus, maiori in finitimos odio exarserunt, Danisque pacatione placatis, ductu Hermannii Valki Magistri Russis Plescoviam eripuerunt: hinc cum ingenti exercitu ad Curonos subigendos processerunt, ac Lithuanis iusta acie profligatis, caepo bellandi adeo non destiterunt, ut quoque Semigalliam peterent, ac ditioni suae subiicerent, & rebus secundis elati, cladem sibi ac prope Ordini suo interitum afferrent. Nec mirum est, expeditiones eas non esse prosperas, quae iusta ex causa non suscipiuntur, quamvis fortuna ad tempus indulgeat, et ambitioni blandiatur. Nam et ante fatalem conversionem praeferoses Samogitas, quorum impetus frangi non poterat, domuerunt, et finium controversias cum Lithuanis ferro et armis transegerunt, et belli Polonici molem fortiter sustinuerunt, donec suis tantum viribus, nondum coniuncta Lithuania, militaret. Russos e sylvis & solitudinibus egredi ausos, in ipso belli conatu represserunt, cum nondum Scythias in Asiam porrectis imperarent, quorum regna Basilides oppressit, et Casani atque Astrachani accessione auctus, potentiam Livonicae sodalitati terribilem conflavit. Priusquam vero ab externis hostibus infestati et attriti sunt, armis in viscera versis, ignari instantium, haud obscura signa exitii dederunt. Etenim prosperis rebus, bellorumque successibus inflati, contra promissorum pactorumque fidem, multa insolenter fecerunt, & omnem Archiepiscopi Rigensis potestatem sibi sumere, iusque et dignitatem Livoniae Principis, quae ad eum spectabat, sibi tribuere, et arces possessionesque invadere, et trahere ac transferre opes, et quovis modo incepta perficere decreverunt. Inter hos *Ioannes Ostboffius a Mengeden*, Magister Livonorum Equitum, ira et ambitione incitatus, copias eduxit, et Sylvestrum Rigae Archiepiscopum adortus est, nec cupiditati suae modum statuit, & pacem foedusque rupit, eo maxime rerum statu, quo Teutonici Equites bello Polonico distracti, de

summa rerum periclitabantur. Quibus rebus evenit, ut neutri suam dignitatem tueri possent, nec meliore loco essent res Prussorum, quos praeter alia temporum mala, tunc summa difficultas numaria premebat, adeo ut conducti milites ob stipendia non persoluta turbarent, et plerasque Prussiae urbes pignoris nomine Polonis obligarent, quas Casimirus Rex repetenti Magistro generali neutiquam reddidit, et quomodo reliqua Prussia potiretur, cogitavit. *Vid. praeter Russovium Chytracius p. 20, d. l. Venator lib. II. cap. 8.* Sed hos aliosque superiorum Livoniae Magistrorum errores correxit Valterus Plettenbergius, cuius prudentia omnium monumentis celebratur, et fortitudo notior testatiorque est, quam ut hoc loco a me describatur. Qui simultaque ad provincialis Magistri dignitatem pervenit, nihil antiquius habuit, quam ut intestina Livoniae dissidia componerentur. Id consilium ei bene cecidit, postquam Rigenses cum Ordine in gratiam redierunt, et metu communis periculi, quod a Russis imminerebat, auxilii atque officiorum societate denuo se coniunxerunt. Quare Russos in Livoniam progressos repulit, exercitumque eorum fudit, nec multo post praelio apud Plešcoviam commisso, magnam hostium stragem edidit, et Russorum Scytharumque circiter centena millia delet, reliqui fuga dilapsi, vel audito Germanorum nomine, cohorrerunt. Hinc Russi quinquaginta annorum inducias petere coacti, Livoniam populari deserunt, nec sine perturbatione cladis proximae recordati, victores Germanos viros ferreos appellarunt. *Alexander Gvagninus in Sarmatia Europaea, et speciatim in Livoniae descriptione.* Hic est Plettenbergius, quem Carolus V. in Principum Imperii numerum ascripsit, quo Magistri provinciam tuente, equitum Livonicorum res maxime floruerunt.

§. XI. Cum Valtero Plettenbergio, Ordinis huius felicitas extincta est, propterea quod sequentes Magistri sublata aequitate, & neglecto concordiae studio, per malas dominandi artes ad opprimendum Rigae Archiepiscopum, et occupandum totius Livoniae imperium connitebantur. Grave hoc imprimis videbatur Archiepiscopo Gvilielmo, summae familiae Principi, magnisque necessitudinibus innixo, et Regis Poloniae Sigismundi ex sorore nepoti, haud passuro cripi libertatem. Quam cum suis viribus tueri non posset, cum Rege Poloniae de patrocinio ac defensione actum est, quod Equites, potentia sua fretos, ab incepto non retraxit. Movetur bellum, et in arce Kokenhusana obsidetur Archiepiscopus, nec multo post ad deditionem compulsus, in custodiam datur, ac integro anni spatio ibi detinetur. Post haec Sigismundus Augustus rei indignitate permotus, misit legatum cum plenis mandatis, qui Magistrum ad liberandum e vinculis Marchionem exhortaretur. Sed ille suo et Ordinis malo pertinax, exorari non potuit, ratus eam Praefulis captivitatem per sibi esse opportunam, qua viam mu-

muniisset ad opprimendum Archiepiscopum, maxime Ordini suo metuen-  
dum. Erat is quidem multas ob res inuisus, inprimis autem hanc ob causam,  
quod suo arbitratu quaedam contra instituta et leges fecisset, neque expe-  
ctato Procerum ecclesiasticorum consensu, *Adiutorem* sibi Christophorum  
Ducem Megapolitanum constituisset, et cum Rege iam diu Livoniae inhian-  
te, atque cum agnato Alberto, ab Imperii societate averso, ad extirpandos Or-  
dinis sui Equites conspirasset, quippe quod, literis interceptis, palam esset.  
Archiepiscopus inficiatione facti se defendebat, iure suo non cessurus, quod  
non dubitaret, Regi se esse curae, cuius amicitia et necessitudo spem liberatio-  
nis faciebant. Multum vero in Magistri, Gvilielmi Furstenbergii, modera-  
tione desideratum est, qui legato rebus infectis dimisso, Regem pro nepote,  
solicitem, hac repulsa vehementer commovit, ut eas Magistri iniurias haud  
negligeret, bellumque ex SCto Procerum decerneret, stimulante eum Caspa-  
ro Munstero, qui Magistrum sibi in eo munere praelatum, spreti pacis consilii  
pœnam dare cupiebat. Quare ut Furstenbergius totum belli Polonici impe-  
tum exciperet, necesse erat, nisi eum mox consilii pœnituisset. Rex etsi ad  
expeditionem paratus, tamen vicit animum, iramque cohibuit, & placari se  
passus est, siquidem conditiones de restituendo Archiepiscopo, et faciendis  
damnis impleret. Non obniti ausus Magister, omnia facturum se recipit, et  
Archiepiscopo custodia liberato, Regem adit, & dicta promissaque praestat.  
*Alex. Guagninus in descriptione Livonicae, Tilemannus Bredenbachius in historia belli  
Livonici p. 226. seq.*

§. XII. Postea e vita excessit Archiepiscopus Rigensis, quando Sigismun-  
dus Livoniam defensionis suae imparem conspicatus flagitavit, ut sacramen-  
tum sibi diceret, fidemque obsequii religione obligaret. Christophorus Me-  
cklenburgius, quem *Adiutorem* Gvilielmus sibi asciverat, foedere & amicitia,  
Erici Sveonum Regis confirmatus, totam Archiepiscopi regionem sibi vindi-  
cabat, sed in initio & conatu resistendi captus, atque in Poloniam abductus,  
plus quinque annis in custodia permansit. Cetera Livonia, quae Ordini pa-  
rebat, captivitate Magistri Furstenbergii, cuius liberandi gratia Ferdinandus  
Caesar, et Magnus Teutonici Ordinis Magister VVollfgangus, dimisere Le-  
gatos in Russiam, qui post multas negotiorum itinerumque molestias, spe fru-  
strati in Germaniam redierunt. Furstenbergius, in quem Russorum Impera-  
tor culpam belli contulit, diu in vinculis habitus, & in ea calamitate mortuus  
est, cum totus ille tractus, quae in Ordinis fines descriptus erat, magno in metu  
periculoque versaretur. Ita potiundae Livoniae occasionem nactus Rex,  
amplas et opulentas, ac sanguinis Germanici impendio partas regiones, ab  
Imperio Germanorum, sine Imperatoris et Principum assensu seiunxit, terras-  
que antea Archiepiscopo, et Magistro obnoxias, in ditionem Polonicam re-  
degit,

degit, atque in Lettia et Livonia *ducatum* instituit, ac regno Poloniae coniunxit: Curlandiam et Semigalliam Gotthardo Kettlero, quem Furstenbergius *Adiutorem* sibi sumserat, titulo et dignitate Ducis, lege beneficiaria tenendas, MD LXI. attribuit atque concessit. V. *Salomon Neubauer hist. Polon. lib. VIII. Chytraeus in Saxonia p. 21.* Revalia, murus et propugnaculum contra Russos, Erico Sveonum Regi se permisit, et Magistro Livoniae obsequium renunciauit, quam tota deinceps Esthonia secuta est, & imperio ditionique Regis se subiecit. Priusquam hoc fieret, Carolus V. ut pacta Gandavensia docent, patrocinium tutelamque huius provinciae Regi Svediae obtulit, propterea quod Russi cum infestis signis in Harriam moverant, & omnia crudeliter diripuerant, Revaliam occupaturi, nisi Revaliensis populus, accepto praesidio, contra vim impetumque hostium se firmasset. Haec Ioannis Basilidis irruptio contigit anno MDLV. quo terror & desperatio plurimorum animos incessabat, cum immanitatis Russicae nullus finis modusque esset, et rapinae, caedes, vastitasque et solitudo passim conspicerentur. Igitur vel deditioe paciscenda servitus Russica, vel patrocinium praesidiumque Svedicum certe admittendum erat. Caesar, praeter alias rerum temporumque difficultates, magno locorum intervallo disiunctus, opem ferre non poterat, neque alia liberandi ratio occurrebat, quam ut in patrocinii clientelaris fidem acciperetur. Qua de causa Ferdinandus I. et Maximil. II. non repugnarunt, quominus tota ea provincia sub tutela Svedica se defenderet, & suo atque Imperii iure servato, consuleret salutis suae, ac profligaret Russos, qui iam plerasque urbes et tractus, in potestate sua habebant, et cupiebant, operamque dabant, ut Magnus Holfatiae Dux fiduciaarium & clientelare regnum beneficio Ioannis Basilii agnosceret confereretur. V. *David Chytraeus Chron. Sax. lib. XX. Simon Scharidius rerum Germanicarum Tom. IV. p. 140. Michael Caspar Londorpius Act. publ. cont. l. IX. c. I.*

## LVI. VETERVM INSTITVTA DRVIDVM.

**V**etus Druidum patria fuit Britannia, ex qua sodales eorum atque sacerdotes in continentem egressi, Galliam institutis moribusque suis erudierunt. *Caesar l. VI. c. 13. de bello Gallico. Disciplina (Druidum) in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur.* In Britannia, scribit Caesar, speciatim in Mona insula, ad mare Britanniae insulam pertinente, quae hodie *Anglesea* (indigenis *Anglesey*) nominatur, cuius meminit *Tacitus A. XIV. 29. 30.* Diversa enim est Mona apud